



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 140. Burgus ad laqueum, & rogam damnatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI. gum liberaret: quapropter iudicium ur-
 A.C. 1559 gebat.

§. CXL.

*Burgus ad laqueum, & rogam
 damnatus.*

Thuan. l. c. Itaque tertio post die Burgus lata in
Spond. n. 27. eum sententia ad laquei, rogiue sup-
 plicium condemnabatur: cum autem
 hoc iudicium coram illo recitaretur,
 nullum perturbati animi signum edebat,
 affirmans, quod sincera mente ignosce-
 ret iudicibus suis, qui eum iuxta con-
 scientiam Dei iudicassent: conversa ta-
 men ad ipsos Iudices oratione tandem
 commotior in hæc verba desit; „Jam
 „tandem ignes vestros, & incendia re-
 „stinquite, atque ad Deum emendata
 „priori vita mentes convertite, ut pec-
 „cata vobis condonentur, ac delean-
 „tur: iniquus derelinquat viam suam,
 „omissisque perversis consiliis ad Domi-
 „num convertatur, & ipse eius misere-
 „bitur: vos vero vivite, & valete, o Se-
 „natores, & in Deo, ac de Deo indefi-
 „nenter cogitate: ego libens ad mortem
 „pergo. „ His dictis plastro impositus,
 ac valida ducentorum Equitum, ac qua-
 dringentorum peditum armis instructo-
 rum turma stipatus ex Palatii carceri-
 bus ad S. Joannis plateam, ubi locus
 erat pro supplicio destinatus, deduce-
 batur,

batur, atque eo delatus pauca ad populum, uti promiserat, prolocutus duntaxat edixit, quod Evangelii causa, non tanquam latro ad mortem duceretur. His dictis, ipse se veste exuit, & cum in altum attolleretur; aliquoties auditus est hæc verba pronuntiare. „Deus mi, ne me derelinquas, nec ego te derelinquam:„ elisis mox laqueo faucibus corpus in ignem conjicitur die vigesima Decembris. Hunc exitum habuit Annas Burgus, cum triginta, & octo annos vixisset, Rigomagi præcipuo in Arvernensium oppido natus ex honesta, ac locuplete familia, ex qua olim Antonius Burgus Franciæ Cancellarius sub Francisco I. prodiit. Ceterum hujus hæretici supplicium crebras extorquebat lacrimas ex eorum oculis, qui prævidebant, quod illius mors sanguinis in Francia ubertim effundendi dispendio progressu temporis ob hæreticorum seditiones constaret.

§. CXLI.

Ceteri Senatores ad varia supplicia damnati.

Posthæc ceterorum Senatorum causa *Tiuan. l. 6.* dijudicabatur, qui tamen eo facilius sese defendere poterant, quo longe cautius quam Burgus, in Mercuriali, ut vocant, judicio hæresis suæ venenum

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

occur-